

gatissima illa inter Germaniae protestantes opinio, Deum, quum obiectum cognitionis sit, quod humanam cognitionem plane transcendat, a ratione humana certo cognosci non posse, sed ab animo humano non tam cognosci quam obscure quasi *sentiri*. Quod quidem non docent solum, qui supernaturalem revelationem negant, sed etiam, qui eam profitentur. Multi tamen ex his eam voce sola profitentur, re negant, quum ipsam illam Dei ad hominem relationem, qua se eius animo sentiendum praebeat, Dei revelationem dicant.

II. Altera erat quaestio, quid de Deo naturaliter cognosci posse diceretur.

In capite docetur, „Deum, *rerum omnium principium et finem*“, in canone, „Deum *unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum*“ naturali rationis lumine certo cognosci posse.

Haec eadem verba iam inerant in schemate, quod deputationis cura reformatum primo eius examini subiiciebatur¹. In eo autem ipso examine deputationis, ut verba capituli mutarentur, postulatum est. Proposuit unus in primo examine, ut verba „principium et finem“ mutarentur in „Conditorem et Dominum“², et quum caput reformatum iterum examini subiiceretur, duo volebant, verba „rerum omnium principium et finem“ omitti, „quum Deus ut rerum omnium principium et finis naturali lumine rationis cognosci nequeat“³. Omnibus aliis tamen placuit tota prima paragraphus, atque tam capituli quam canonis verba in schemate, quod Patribus Congregationis generalis proponebatur, retenta sunt⁴. Verum in expositione rationis a Patribus deputationis in schematis reformatione servatae de canone adnotatur: „Etsi in canone legatur vocabulum ‚Creator‘, non ideo definitur, creationem proprie dictam ratione demonstrari posse; sed retinetur vocabulum, quo Scriptura (Sap. 13, 5) hanc veritatem revelans utitur, nihil ad eius sensum determinandum adiecto.“⁵

In Congregationis generalis discussione speciali capituli secundi eiusque canonum nulla videtur orta esse difficultas. Quum autem in Congregatione generali quadragesima quinta de tota Constitutione suffragia ferrentur⁶, ab aliquibus Patribus emendationes vel conditiones suffragio „Placet“ adiectae sunt, quae superiora et capituli et canonis verba respiciunt.

Inter has emendationes in *caput* propositas prima (emendatio 51) haec est: „Non placet initium capituli secundi et ideo canon ipsi respondens. Aliud est enim dicere: rationem posse cognoscere ex creaturis existentiam, attributa Dei, ut docuit Apostolus illis verbis: ‚Invisibilia Dei per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur‘, et in

¹ Schema etc. C. V. 1629 b. 1631 b. Cf. supra p. 15.

² Ex actis etc. C. V. 1652 d. ³ Ibid. C. V. 1655 b.

⁴ Schema etc. C. V. 72 a. 76 b. ⁵ Ratio etc. C. V. 79 d. ⁶ V. supra p. 27.

multis locis suae Summae demonstrare videtur Angelicus; et aliud est dicere: rationem certo cognoscere posse Deum, rerum omnium principium et finem.

„Haec propositio est in suo conceptu satis complexa, et enunciationem eius non rectam, non veram esse opinor. Nullus etenim philosophorum, neque Aristoteles, neque Plato, neque Tullius, qui fere omnem rationis potentiam praemonstrarunt, adeo ut eorum vestigia hodierni philosophi sequantur, potuerunt cum certitudine cognoscere Deum principium et finem omnium rerum. Si nullus igitur philosophorum hoc cognoscere potuit absque commixtione multorum errorum, ut ex eorum theologia speculativa evidenter patet, unicuique fulget veritas non moralis, sed necessaria de impotentia humanae rationis perveniendi cum certitudine ad cognoscendum Deum, principium et finem omnium rerum; verissimum enim est et apud omnes acceptum Tullii effatum: ‚*Id, in quo omnis natura consentit, necesse est verum esse.*‘ Revera, ipso promulgato christianismo, pagani minime cognoscunt cum certitudine Deum, principium et finem omnium rerum, et fortasse ipsi catholici philosophia ac christiana doctrina nondum bene excolti.

„Quapropter ego arbitror, expungendum esse adverbium *certo*; res enim, quae cognoscuntur, certo cognoscuntur; adverbium ideo, quod superfluum est nobis, sed rationalistis perutile. Et sic, dum removetur apparens contradictio inter primam et secundam paragraphum, semper damnamus traditionalismum, et non videmur absolvere rationalismum, errorem illo peiorem.“¹

Alia emendatio haec erat: „Placet (Constitutio), supprimendo voculam *certo*, quia quod sic dicitur, licet philosophice verum esse credam, non tamen mihi videtur ita clare certeque revelatum, ut dogmatice possit definiri.“²

Etiam tertia emendatione proponebatur, ut vox „certo“ omitteretur³.

Similiter quoad *canonem* ab uno animadvertebatur: „Quatenus non supprimeretur vocula *certo*, supprimantur omnia, quae sequuntur vocem *Deum*, usque ad *facta sunt*; ne videamur dogmatice et sub anathemate definire: rationem naturalem sufficere posse ad cognoscendum cum *absoluta certitudine* (id est vel evidenter, vel per certam demonstrationem, cum aliter haberi nequeat certitudo rationalis): 1. *unitatem* Dei; 2. *veram* Dei naturam; 3. mysterium creationis proprie dictae, seu ex nihilo; — eaque omnia sic certo posse cognosci per solum etiam argumentum ex spectaculo huius mundi deductum.“⁴

Alius animadvertit: „Delenda videntur verba *Creatorem et Dominum nostrum*: qui etsi [ita] nominetur in Scripturis, praecise quando con-

¹ Emendationes etc. C. V. 224 c sqq.

² Ibid. C. V. 225 a.

³ Ibid.

⁴ Ibid. C. V. 228 d sq.

sideratur in relatione ad creaturas, ideoque verba illa, uti casus appositionis, possent retineri, attamen apposita in canone inducunt illam quaestionem, quae in adnotatione vitanda dicitur, utrum scilicet rerum creatio sola ratione certo cognosci possit. At in canonibus, in quibus per damnationem erroris contrarium dogma catholicum definitur, nullus dandus est locus ambagibus, ne errantibus relinquatur effugium, ac, dogmate ipso in ambiguitate versante, suprema sinceris fidelibus ingeneretur anxietas, an scilicet in hoc vel illo sensu illud retinendo, id ipsumne sentiant ac sancta mater Ecclesia, an ab illius doctrina longe aberrent.¹

Iam videamus, quid nomine deputationis respondeat Brixinensis.

Quoad ea, quae in *caput* proposita erant, „auctores huius exceptionis“, inquit, „multum anguntur animo, quod enuntietur in capite secundo, Deum, principium et finem omnium rerum, lumine naturali ab homine certo cognosci posse; et non acquiescunt hi Rōmī Patres, quamvis ipsis dicatur, agi in hoc capite solummodo de homine in genere, quidquid sit de singulis; non acquiescunt, quum ipsis dicitur, agi solummodo de potentia, utique non mere passiva sed activa, Deum lumine naturali certo cognoscendi: sed instant, potentia, quae nunquam deducitur ad actum, potius dicenda impotentia, et quidem non solummodo moralis sed physica. Iam potentia ista Deum lumine naturali cognoscendi est talis potentia, quae nunquam ad actum deducta est, nam sub n. 51 [in prima illa emendatione] dicitur: „Nullus etenim philosophorum, neque Aristoteles, neque Plato, neque Tullius, qui fere omnem rationis potentiam praemonstrarunt, adeo ut eorum vestigia hodierni philosophi sequantur, potuerunt cum certitudine cognoscere Deum principium et finem omnium rerum.“ Hinc concludunt, doctrina ista non potest admitti, quod homo lumine naturali possit certo cognoscere Deum omnium rerum principium et finem.

„Quid dicam de hoc syllogismo? Quoad maiorem dico *transeat*, quamvis, si responsio integra danda esset, certe etiam haec maior bene esset distinguenda. Sed mitto maiorem et nego minorem, scilicet quod nullus unquam philosophorum Deum omnium rerum principium et finem certo cognoverit. In parvula bibliotheca, quam hic Romae paravi, habeo etiam scholia graeca in Aristotelem, in lucem edita curante Brandisio ex academia Borussica; in eadem bibliotheca possideo Ethica Eudemia Aristotelis in editione pulcherrima Fritschii, quae Ethica, quamvis fuerint opus discipuli Aristotelis, scilicet Eudemi Rhodii, tamen iuxta consensum omnium doctorum ex mente Aristotelis expressa sunt. Iam quid videtur in his scholiis et in his Ethicis? Scholiastes graecus ad finem Physicorum Aristotelis haec verba adiicit, et peto, Rōmī Patres, ut ea bene notetis. Dicit, omnia quae Aristoteles

¹ Emendationes etc. C. V. 229 a.

in libris Physicorum habet, eo tendere, ut doceat, Deum esse mundi et etiam coeli causam non solummodo finalem, sed etiam efficientem. Verba scholiastae haec sunt: „Aristotelem omnem de principiis physicis institutionem in eminentem theologiam tanquam in apicem reduxisse, demonstrando, omnem physicam et corporalem constitutionem dependere ab incorporali et intellectuali bonitate, quae supra naturam posita est, et Deum esse non solummodo causam finalem, sed efficientem totius mundi et etiam coeli.“ Haec habentur in istis scholiis.

„Quis, Rōmī Patres, negare poterit, Aristotelem reapse cognovisse Deum omnium principium et finem? In Ethicis Eudemi, et quidem libro VIII., sequentia habentur; dicit ibidem discipulus Aristotelis ex mente magistri sui, Deum esse principium in animo hominis cogitantis, sicuti est in mundo universo: ideo illos homines prudentes et sapientes videri, qui, quod agendum sit, celeriter quasi vaticinio quodam perspiciunt: „Nam (sunt verba ipsissima) Deus et futura cernit, et rerum naturam veram intuetur, et ea, quae se huic nostrae humanae rationi subducunt, eique recondita sunt, perspecta habet.“ Demum in fine Ethicorum virtutis humanae finis seu virtus humana subsequenti ratione describitur: „Omnibus numeris absolutam honestatem hominis seu virtutem in eo consistere, ut omni respectu naturae suae rationalis mandatis Dei gubernatoris et principis pareat; bona vero externa, opes, amicos, bona corporis et reliqua id genus, ita expetat hisque ita utatur, ut his iuvet et augeat contemplationem Dei.“ Et in fine addidit: „Qui vero aut parum aut immodice quaerit bona externa, eoque efficit, ut in Dei cultu atque in Dei contemplatione impediatur, huius pravum est studium.“ Ergo iuxta Aristotelem omnes virtutes hominis tum intellectuales tum morales referuntur ad Deum; et quidem intellectuales referuntur ad contemplationem Dei, morales vero ad cultum Dei. Quis haec intuendo negare poterit, Aristotelem cognovisse certo Deum omnium principium et finem?

„Quoad Platonem utique notissimum est, quod ipse finem hominis posuerit in imitatione Dei, quantum fieri potest. Verum utique est, quod eae meliores et puriores de Deo et rebus divinis cognitiones parum vel nihil attulerint ad commune commodum; nam eae cognitiones tanquam placita philosophorum clausae manserunt inter portas Academiae et Lycei, et ibidem magis inserviebant disputationi philosophicae quam emendationi morum. Sed hac re solummodo confirmatur verissimum illud verbum Apostoli ad Romanos, ubi de sapientibus ethnicis dicit: „Qui cum cognovissent Deum, non sicuti Deum glorificaverunt aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis.“ Et bene notate, Rōmī Patres, Apostolus, cum hoc in loco dicit, quod cognoverint Deum, hanc cognitionem derivat ex speculo creaturarum, nam in praecedentibus de sola hac cognitionis methodo sermo est. Et non potest dici, quod habuerint ethnici philosophi etiam semina

traditionis, quidquid sit hac de re, de qua multum disputatum est et disputari potest; sed apostolus Paulus, cum haec scribit, non nisi ad cognitionem Dei naturalem per speculum creaturarum respicit. Ergo, Rōmī Patres, certe causa iusta nulla adest, cur animo angantur Patres enunciando verba illa ‚hominem lumine naturali posse certo cognoscere Deum, rerum omnium principium et finem‘.¹

Quum de emendationibus in *canonem* propositis ageret, Brixinensis aiebat, quod de capituli emendationibus dixisset, id etiam in priorem illam canonis emendationem valere². De altera canonis emendatione haec animadvertit: ‚Rōmī auctor huius exceptionis vult deleri ‚Creatorem et Dominum nostrum‘ in canone primo, et quidem ea ex ratione, ne videamur directe dicere, creationem omnium rerum proprie sic dictam sola ratione certo cognosci posse, ita quidem, ut anathemate damnandus sit ille, qui contrarium teneat; et infert, quod creatio proprie sic dicta lumine naturali cognosci non possit, sicut historia philosophica testatur. Rōmī Patres, verum est, quod tempore S. Bonaventurae multum disputatum fuerit et disceptatum in scholis catholicis, utrum philosophi antiqui gentiles creationem mundi ex nihilo cognoverint necne: sed hac de re omnes conveniunt, quod saltem potuerint cognoscere Deum creatorem. Et reapse ni fallor, si verum sensum saltem Aristotelis assecutus fuero, Aristoteles multo magis in eo erravit, quod crediderit, mundum esse aeternum, quam quod crediderit, mundum non fuisse creatum a Deo. Utiq̄ue uterque error aliquo interiori nexu inter se connectitur. Deputatio de fide vero putavit, non sibi licere resecare in canone vocem ‚Creatorem‘, quia in libro Sapientiae vox ista omnino adhibetur; et vocem Sacrae Scripturae resecare, cum agatur de re prorsus eadem, deputatio de fide licitum non putavit.“³

Itaque ostendit Brixinensis, verba illa recte retineri, eiusque expositionem comprobant Patres.

Definitum igitur est, Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, rerum omnium principium et finem, naturali nostrae rationis lumine certo cognosci posse; non autem definitum est, naturaliter certo cognosci posse, eum res creatione proprie dicta, i. e. ex nihilo seu non proiacente materia produxisse. Id in canone non definiri, licet ibi occurrat vox Creatoris, aperta deputationis declaratione constare supra⁴ vidimus. Patet autem, id ad caput, in quo Deus principium rerum omnium naturaliter certo cognosci posse dicitur, transferri debere.

¹ Relatio etc. C. V. 236 b sqq. ² Ibid. C. V. 243 a.

³ Ibid. C. V. 243 a. b. ⁴ P. 42.

COMMENTATIO III.

Quid Concilium Vaticanum de S. Scriptura definierit.

Concilium Vaticanum, postquam duabus primis paragraphis capituli secundi de revelationis veritate et de commodis ea oblati eiusque necessitate egit, duabus ultimis agit de fontibus, quibus veritates revelatae continentur, de Traditione et S. Scriptura.

Doctrina, quam de S. Scriptura proponit, continentur tria, quorum primum ad eius ambitum, alterum ad inspirationem, tertium ad interpretationem eius refertur. Ad haec tria illustranda aliqua ex actis Concilii afferemus, quibus alia quaedam, quae doctrinam Concilii explicare videantur, addere liceat.

I. Ac *de ambitu* quidem Concilium iterum proponit, quod Tridentinum Concilium proposuerat: „*Veteris et novi Testamenti libri integri cum omnibus suis partibus, prout in eiusdem (Tridentini) Concilii decreto recensentur et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis recipiendi sunt.*“

In hac definitione explicanda unum monendum est, veterem vulgatam latinam editionem non esse exclusis aliis editionibus seu exemplaribus intelligendam Clementis VIII. editionem, sed eam ipsam versionem, quam commemorat Concilium Tridentinum, quum non iam exstaret editio auctoritate pontificia facta. Quod quidem, quum ex ipso decreto colligi possit, constat etiam ex documentis. Quum enim unus ex Patribus proposuisset, ut reciperetur „prout . . . in vulgata latina editione Clementis VIII. auctoritate promulgata habentur“¹, Brixinensis, deputationis relator, id recipi posse negavit. Addit: „Vulgata latina ab ipso Concilio (Tridentino) declarata tanquam authentica et emendationes factae per Pontifices subsequentes, cum res sint omnino differentes, non debent confundi; eo minus debent, quia, ut nostis, in ipsa praefatione huius editionis anni 1592 dicitur, quod emendatio hucusque non omnibus numeris absoluta dici possit, et quod quaedam studio sint relicta, quae emendanda fuissent ex causis, quae ibidem afferuntur.“²

II. *Inspirationis* haec est Concilii definitio: „Eos (libros) Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo, quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant, sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt.“

Declaratur igitur imprimis, ut theologi adnotant ad schema de doctrina catholica³, „*quis sensus non sit genuinus dogmatis, secundum*

¹ Emendationes etc. C. V. 123 b. ² Relatio etc. C. V. 141 d sq.

³ C. V. 522 a sqq. Cf. Ratio etc. C. V. 79 d sq.